

Daedalus intereā Crētēn longumque perōsus 183 \_\_\_\_\_

exilium tactusque locī nātālis amōre \_\_\_\_\_

clausus erat pelagō. 'terrās licet' inquit 'et undās 185 \_\_\_\_\_

obstruat, et caelum certē patet; ībimus illāc: \_\_\_\_\_

omnia possideat, nōn possidet āera Mīnōs. \_\_\_\_\_

dīxit et ignōtās animum dimittit in artēs \_\_\_\_\_

nātūramque novat. nam pōnit in ōrdine pennās \_\_\_\_\_

ā minimā coeptās, longam breviōre sequentī, 190 \_\_\_\_\_

ut clīvō crēvisse putēs: sic rūstica quondam \_\_\_\_\_

fistula disparibus paulātīm surgit avēnīs; \_\_\_\_\_

tum līnō mediās et cērīs alligat īmās \_\_\_\_\_

atque ita compositās parvō curvāmine flectit \_\_\_\_\_

ut vērās imitētur avēs. Puer Īcarus ūnā 195 \_\_\_\_\_

stābat et, ignārus sua sē tractāre perīcla, \_\_\_\_\_

ōre renīdentī modo, quās vaga mōverat aura, \_\_\_\_\_

captābat plūmās, flāvam modo pollice cēram \_\_\_\_\_

mollībat, lūsūque suō mīrābile patris \_\_\_\_\_

impediēbat opus. postquam manus ultima coeptō 200 \_\_\_\_\_

imposita est, geminās opifex librāvit in ālās \_\_\_\_\_

ipse suum corpus mōtāque pependit in aurā; \_\_\_\_\_

īnstruit et nātum 'mediō' que 'ut līmite currās, \_\_\_\_\_

Īcare,' ait 'moneō, nē, sī dēmissior ībis, \_\_\_\_\_

unda gravet pennās, si celsior, ignis adūrat: 205 \_\_\_\_\_

inter utrumque volā. nec tē spectāre Boōtēn \_\_\_\_\_

aut Helicēn iubeō strīctumque Ōrionis ēnsem: \_\_\_\_\_

mē duce carpe viam!' pariter praecepta volandī \_\_\_\_\_

trādit et ignōtās umerīs accommodat ālās. \_\_\_\_\_

inter opus monitūsque genae maduēre senīlēs, 210 \_\_\_\_\_

et patriae tremuēre manūs; dedit oscula nātō \_\_\_\_\_

nōn iterum repetenda suō, pennīsque levātus \_\_\_\_\_

ante volat comitīque timet, velut āles, ab altō \_\_\_\_\_

quae teneram prōlem prōdūxit in āera nīdō, \_\_\_\_\_

hortāturque sequī damnōsāsque ērudīt artēs 215 \_\_\_\_\_

et movet ipse suās et nātī respicit ālās. \_\_\_\_\_

hōs aliquis, tremulā dum captat harundine piscēs, \_\_\_\_\_

aut pastor baculō stīvāve innīxus arātor \_\_\_\_\_

vīdit et obstipuit, quique aethera carpere possent, \_\_\_\_\_

crēdidit esse deōs. et iam Iūnōnia laevā 220 \_\_\_\_\_

parte Samos (fuerant Dēlosque Parosque relictæ) \_\_\_\_\_

dextra Lebinthos erat fecundaque melle Calymne, \_\_\_\_\_

cum puer audācī coepit gaudēre volātū \_\_\_\_\_

dēseruitque ducem, caelīque cupīdine tractus \_\_\_\_\_

altius ēgit iter. rapidī vicīnia sōlis 225 \_\_\_\_\_

mollit odōrātās, pennārum vincula, cērās; \_\_\_\_\_

tābuerant cērae: nūdōs quatit ille lacertōs, \_\_\_\_\_

remigiōque carēns non ūllās percipit aurās, \_\_\_\_\_

ōraque caeruleā patrium clāmantia nōmen \_\_\_\_\_

excipiuntur aquā, quae nōmen trāxit ab illō. 230 \_\_\_\_\_

at pater īnfēlīx, nec iam pater, 'Īcare,' dīxit, \_\_\_\_\_

'Īcare,' dīxit 'ubi es? quā tē regiōne requīram?' \_\_\_\_\_

'Īcare' dīcēbat. pennās aspēxit in undīs \_\_\_\_\_

dēvōvitque suās artēs corpusque sepulcrō \_\_\_\_\_

condidit, et tellūs ā nōmine dicta sepultī. 235 \_\_\_\_\_